



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

IV. Tertium argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

- fit ut ad Novi Testamenti Scriptores nobis decurrendum sit. Matthæo ergo sententiam hanc: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum*, subministravit istud comma libri Sapientie: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintilla in arundinetis discurrent.* Istud vero: *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* mutuatus est Paulus ex eodem Libro, in quo legitur: *Judicabunt iusti nationes.* Et hoc etiam Pauli: *Fi de Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transfudit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo, ex illo ortum est: Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est.* Et istud Epistolæ ad Ephesios: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi igne extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, detortum est ex illis: Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile, æquitatem; acuet autem duram iram in lanceam.* Sed & illud Sapientie: *Candor est enim lucis æterna, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius, quæ de Sapientia ipsa pronuntiavit Salomon, ita retulit Paulus: Ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei: & alibi: Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creatura: rursus: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. Istorum etiam Pauli: Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, hæc est origo: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.* Denique ista clausula libri Sapientie: *Sed & figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in unum vasa, & similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, iudex est figulus;* hanc Paulo suppeditavit: *An non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* His adde Catholicam Barnabæ Epistolam, quæ hæc affert è libro Sapientie: *Et anima iniquorum, qui dicunt inter se: Circumveniamus iustum, quia insuavis est nobis.* Adde & priorem Clementis ad Corinthios Epistolam, cujus hæc verba sunt è libro Sapientie deprompta: *τίς ἐπί ἀνθρώπων, ἢ ἐν ἰσχυροῦς, ἢ τίς ἀντιπρὸς τὸν κρείττονά ἐστιν ἰσχυρός ἀντὶ;* *Quis dicit ipsi, Quid fecisti? aut quis resistit robori potentie ejus?* Adde & Constitutiones ejusdem Clementis nomine inscriptas, quæ hæc indidem petita usurpant: *Ὁσίων Ἰσχυρὸς ἐστὶν τοῦ Θεοῦ.* *Iustorum anima in manu Dei.* Merito ergo de libro Sapientie sic disserit Augustinus: *Ubi & illud testimonium ponit de libro Sapientie: Raptus est, ne malitia immutaret intellectum ejus. Quod à me quoque postquam fratres istos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro Canonico adhibitum, quasi & excepta hujus Libri attestazione res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri Quæ cum ita sint, non debuit repudiari sententia libri Sapientie, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu Lectorum Ecclesia Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis, usque ad extremos Laicos fideles, penitentes, catechumenos, cum veneratione divina auctoritatis audiri. Hæc retulimus ad confirmandam Libri hujus dignitatem adversus ætatis hujus Heterodoxos, qui eam convellere magno conatu adorti sunt.**

IV. Horum argumenta à multis sæpe obtrita, iisque præsertim qui controversas de religione quæstiones ventilandas susceperunt, ea quam de libri Sapientie scriptione, collectione, interpretatione, & ætate proposuimus sententia discutit ipsa per se & retundit. Nam primum afferuntur nonnulla Veterum testimonia, qui à Salomone librum Sapientie scriptum fuisse negant; ac merito quidem, si Liber ille significetur, qui superest ad hanc diem; nam et si doctrina ipsa ac sententia sunt Salomonis, ordo certe, contextus, ac compositio sunt alterius.

V. Plura etiam proferuntur Patrum testimonia, qui à Canone librum Sapientie segregant. In Efrino quidem Canone propter causas à me expositas locum non habuit. At defectum hunc sarfit demum Ecclesia Christi.

